



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Caput I. De peccatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

DE PRÆCEPTIS DECALOGI

L I B R I D E C E M.

Intentio, & Divisio Operis.



CEANUM palmo concludere nitor, dum casus ferè omnes ad Decalogum spectantes brevibus Opusculis explicare contendo. Vires assumit timor. Vnde enim in tanta nobilium Scriptorum de eodem argumento obvia multitudine, ac frequentia novi aliquid ad Lectorum animos alliciendos, mihi expiscari concedetur? Nitar tamen, & cense si allequar, lucro apponam; sin minus, excusabit me obedientia R. P. N. Vincentij Carraffa, totius nostræ Societatis moderatoris, qui Opusculum primum meum, de *Expectata Confessione*, evolvere non dedignatus, ad id sibi placuisse mihi indignissimo significavit, ut etiam me ad summam eorum universalem eodem modo ac stylo conscribendam, adhortaretur, hoc est, (ut sunt Superiorum nutus excipiendi) pro suo in me imperio, præciperet. Id autem, quod dirigendum suscipio, quàm sit operosum atque prolixum, (cum S. Aug. lib. 17. de Civit. c. 1. merito loquor) & quàm multis indigeat voluminibus, quis ignorat, qui hoc vel mediocriter cogitat? Proinde (cum eodem ibid. concludo) ita, si potuero, stylo moderabor meo, ut huic operi, nec ea, quæ supersint, dicam, nec ea, quæ satis sint, prætermittam.

Decem ergo libris decem Decalogi præcepta complector. In primo quasi Isagogen instituo pro consequentibus libris, siquidem de quibusdam ago, quæ scitu sunt generatim, atque universè præ-necessaria, antequam ad sequentes tractationes speciatim descendatur: hæc sunt de peccatis, de voluntario, de conscientia. In cæteris verò diffundam de præceptis ipsius Decalogi, ita scilicet ut singuli libri singula præcepta contineant, præter librum decimum, qui duo, hoc est nonum & decimum præceptum complectetur: ubi multa tanquam in proprio loco de internis actibus desiderij simul colligam, quæ Confessariis, imò & poenitentibus fructum parient, si Deo placeat, non contemnendum. *Erudi me Divina Sapientia, & doce me: ads te enim sapere, desipere est.* S. Aug. in *medit.* c. 5.

PRIMA PARS.

L I B E R P R I M U S.

Isagoge, seu de cognatu prænecessariis ante Decalogi tractationem.

CAPUT PRIMUM.

De Peccatis.

§. I. Divisio Peccatorum.

PECCATUM, quod ex S. Aug. lib. 22. contra Faustum, cap. 27. est dictum, factum, concupitum contra legem æternam, atque adeo contra rationem, aliud est Mortale, aliud est veniale: differe-

rant autem hæc in eo, quod veniale leviter adversatur legi æternæ, Mortale graviter: unde fit, ut illud mereatur æternam poenam, hoc est, poenas Inferni; hoc verò poenam temporalem.

2. Ejusmodi autem peccata possunt patrari, per commissionem, ut furando, blasphemando, &c. vel per omissionem, ut non restituendo, non adjuvando extremè indigenti, non audiendo sacrum, &c.

3. Rursus aliud est mortale, vel Veniale ex se, seu ex genere suo, aliud est Mortale, vel Veniale per accidens. Ita Sanchez lib. 1. in decis. 1. num. 3. Meroll. mat. 2. d. 1.

A 64.

c. 4. aliique passim. Ex genere suo Mortale, vel Veniale est, quod ex objecto, seu considerata materia, circa quam vertitur, grave vel leve quid est, verbi gratia, grave est homicidium, adulterium, &c. Leve est verbum otiosum, mendacium officiosum, impatientia laborum, &c. Mortale per accidens est, quando ex aliquo accidente veniale transit in mortale, ut si verbum otiosum, verbi gratia, sit occasio seu periculum proximum alicujus peccati mortalis. Veniale per accidens est, quando mortale ex aliquo accidente transit in veniale, ut si homicidium fiat ex imperfecta deliberatione. Vnde habes non statim te posse pronuntiare actum esse culpam mortalem, vel venialem, nisi perpendas, an quod ex se est tale, per accidens tale nequaquam sit, id quod enucleatius explicandum breviter suscipio.

§. II. De mortali, & veniali ex genere suo.

1. **R**egula passim obvia ad hæc discernenda est ejusmodi: Illud ex genere suo est mortale, quod charitatem Dei vel proximi, vel sui ipsius graviter lædit: secus erit veniale ex genere suo. Nec dissimilis est ea, quam aliqui afferunt. Illud est mortale quod continet gravem deformitatem contra rectam rationem, illud veniale, quod levem. Ita Sanchez l. c. m. ex Azor. l. lib. 4. cap. 9. §. 8. aliique. Veræ sed insufficientes regulæ: nam hoc ipsum inquiri eequodnam est illud, quod charitatem graviter lædit vel quod gravem continet deformitatem?

2. Quoniam verò difficultè potest id per universalem regulam diffiniri, multa signa ad hoc facientia proponere merito solent Authores. Erit ergo actio ex se graviter charitatem lædens, & propterea culpa mortalis, primò, si in sacris literis Deus ejusmodi actioni comminetur exclusionem à Regno cælorum, ut ad Galatas 5. Fornicatio (inquit Apostolus) Immunditia, Contentiones, Emulationes, Iræ, Dissensiones, Sectæ, Invidia, Homicidia, Ebrietates, Correlationes, & his similia, qui talia agunt, regnum Dei non assequuntur.

Secundò, si Ecclesia declaravit esse peccatum mortale. Tertiò, si viri docti communiter, considerata natura actus suavi, iudicent esse mortale, nec sit ratio in contrarium.

Quartò, si sint peccata contra graves virtutes Theologicas, v. g. Religionem, Iustitiam, &c.

Quintò, si sint contra præcepta Decalogi.

Sextò, si sint contra Ecclesiæ præcepta; ad quod caput revocantur omnia, quæ præcepto humano sub mortali præcipiuntur, quando autem sic præcipiuntur, diximus in opusculo de expedit. sacrif. Missæ l. 3. c. 1. §. 8.

3. Erit verò actio ex se leviter lædens, quando, cum mala sit, sub istis prædictis signis saltem principaliter non comprehenditur. Atque hic vides, cur non raro aliqui Doctores dicant actionem quampiam esse mortalem, negent mordicus alij. Ratio enim est, quia cum omnes conveniant in illo-universali, peccatum mortale esse, quod graviter lædit charitatem, vel quod difforme est rectæ rationi; non tamen, (ut sunt hominum diversa ingenia, convenire omnes possunt, An hoc, de quo controvertitur, graviter lædat, An huic peculiari actioni gehenna à scriptura comminetur, ab Ecclesia sic discernatur, An lædantur graves virtutes, An adsit excusatio, per quam mortale transcat in veniale, &c. Et doctus quidem, atque discretus melius resolveret, quam indoctus & imprudens: ille enim cordatè scripturam intelligit, ac doctores, rationesque expendit: hic ab obvia quapiam autoritate, vel simulata ratione ductus, imprudenter pronuntiat. Verum ne inter hos posteriores connumeretur, faciens (Deo aspirante) ea, quæ in his opusculis differemus.

§. III. De veniali per accidens.

1. **M**ortale transit in veniale potest per accidens tribus ferè ex capitibus. Primò, ex parvitate mate-

ria. Secundò, ex imperfectione actus. Tertiò, ex aliqua causa excusante. Jam de singulis.

De Veniali ex parvitate materiae.

2. Qua ratione, quod est ex genere suo mortale, abeat aliquando, ex parvitate materiae in veniale, non obvium est cuique discernere: nam propterea sit huiusmodi regula, (Legit Sanchez lib. 1. in dec. c. 4. n. 1. Suar. d. leg. lib. 2. c. 28. n. 2. Bonac. d. 1. de pecc. g. 3. p. 3. n. 1. Castro P. tom. 2. l. 1. d. 2. §. 7. n. 1. Merollam l. 1. d. 1. l. 4. §. 30.)

3. Quoties ratio malitiae gravis, seu offensio gravis contra charitatem Dei, vel proximi, (quod alij, & rectè quidem dicunt, contra rectam rationem) invenitur in materia parva æque ac in magna, toties perstat mortalis, & non inesse mortalis, etiam in materia quantumvis parva, secus transibit in veniale. Ratio est manifestata: quia malitia peccati mortalis consistit in gravi offensione, si ergo hæc invenitur in aliqua materia etiam levi, semper erit mortalis, si non invenitur, non est, unde sit pronuntianda mortalis.

4. Sed quando id erit vel illud? non potest id melius explicari, quam per aliquam discurrendo in quibus quacunque posita vel levi materia, gravis formaliter offensio reperitur.

5. Dico igitur eam reperiri primò in actionibus, quæ immediate, & rectè contra Deum versantur, ut in odio Dei, contemptu ejusdem, blasphemia, infidelitate, in peccatis contra spem Theologicam, &c.

Quare quodcumque modicum odium, contemptus, &c. erit culpa mortalis. Ratio est, quia in his (ut ex maiestate Dei patet) etiam in quacunque parvitate gravis apparet contra rectam rationem deformitas.

6. Dixi immediate & rectè, nam contemptus indirectus, ut, v. g. contemptus in rebus Dei sacris, videtur posse habere parvitatē; sicut perpendit Sorus in 4. d. 1. q. 1. art. 8. §. si autem, nisi eo contemptu, quo quis in consecratione calicis pronuntiare omiseret illud (enim) ut nos explicuimus in opusculo de sacrif. Missæ lib. 2. c. 5. §. 2. n. 3. vel in eo qui jocose diceret aliquid leve de sanctis, quo homines sunt, ut sanctum Crispinum fuisse sutores, &c. De quo Sanchez lib. 2. in dec. c. 3. n. 4. Hæc enim mediata ad Deum pertinentia, quando sunt modica, non videntur gravem deformitatem continere, cum eisdem Dei reverentiam graviter nequaquam violent.

7. Secundo, reperitur gravis semper offensio in perjurio assertorio. Ita Castro P. l. c. Sanchez lib. 1. in dec. c. 4. num. 1. Semper enim apparet grave, infirmare Deum testem mandacij, quamvis levissimè: ei enim sic tribuitur posse mendacium approbare. Non autem reperitur semper in iuramento promissorio, vel in voto, quando cum fuerit tibi animus illa observandi, deinde non observas; tunc enim non observare erit veniale, si res promissa sit levis, ut infra lib. 3. c. 3. de jur. §. 3. n. 4. ex probabilissima sententia disputabimus.

8. Tertiò, reperitur eadem semper gravis offensio in magia & superstitione, quæ est de pæcto expresso cum deificatione, quia semper malum grave est pacisci cum hoste Dei, & hominum infestissimo. Legit Merollam, l. c. num. 112. Vide nihilominus quæ dicam infra lib. 3. c. 6. §. 1. de superstitione n. 46.

9. Quarto, reperitur item in Simonia ex iure divino, per quam datur pretium temporale pro re spiritali. Ita Sanchez, Castro Palaus l. c. Merollam diff. 1. Semper enim gravis est irreverentia quacumque rem sacram temporali pretio quamvis modico æqualem, ipso facto emptionis, prosteritur: quæ gravis irreverentia non apparet, saltem semper, in simonia jure Ecclesiastico prohibita, ubi res emptæ est temporalis, seu de temporalibus participat. Hujus posterioris generis est officium, verbi gratia, æconomi, sacristæ, quando aliquid parvum datur pro eo consequendo.

10. Quintò, reperitur in re veneratè, deliberatè quaesita, Ita Merolla l. c. diff. 1. quia omnis delectatio libidinis

à fine intendo per legem, id est, à dicto bono publico. Quare, quamvis Sanchez lib. 2. in Dec. cap. 4. num. 8. censcat esse mensurandam ex ipsa quantitate exportata: mercis spectata in se, etiam si parum Reipublice noceat: tamen probabilius est cum Castro Palao tom. 1. tr. 2. d. 2. p. 7. n. 6. esse ex dicto documento mensurandam: quod, si grave inferatur, spectatis omnibus circumstantiis, ratione annona, necessitate regni, &c. mortaliter peccabitur: secus, venialiter.

23. Quando quis parum cibi multoties in die jejuniij assumptis, non perveniat ad gravitatem nocendum fini intendo, per præceptum jejuniij abstinendi à refectioe, venialiter peccabit: si perveniat, mortaliter. Quoniam ergo si semel, aut bis unam vel alteram nucem, v. g. eodem die comedas, non te reficis, nisi admodum leviter, idèd veniale est, illas sive simul, sive successive eodem die comedere; at si ita multiplices, ut nonabiliter reficiaris, peccabis mortaliter. Aliqui docent intra diem jejuniij (extra unicam comestionem, & extra jentaculum vespertinum) unam unicam cibi comedere, esse parvitatem materiae, atque adeo sic comedentem peccare solum venialiter. Turrianus op. sum. Theolog. mor. cap. 2. §. 6. d. 17. n. 1. quem citat Pasqual. de jejuniis decis. 139. extendit ad duas uncias. Vnde hoc? certe non nisi quia ex dictis illi unam unciam, Turrianus, etiam duas parum fini prædicto jejuniij nocere, ut sunt hominum diversa judicia, probabiliter putant.

24. Hic denique adverte. Quando dubitatur an res præcepta graviter conducat ad finem, vel an gravis sit finis, præsumi probabiliter posse ac debere ita esse, si ejusmodi præceptum magno consilio, & à superiore prudenti constituitur. Ita Castro P. 1. tract. 1. d. 7. num. 4. ex Sanchez lib. 1. in Dec. cap. 4. num. 3. Ratio est, quia ex communiter contingentibus præsumendum est pro superiore prudente; prudentes enim non solent præceptum grave imponere, nisi ad finem gravem, deque re ad gravem finem graviter conducente: Quod si clarè de imprudentia constet, vel etiam, omnibus perpensis dubiè, vel ex aliquo capite præsumatur præceptum, ejusque poenam ad terrorem duntaxat ferri, leve quid est reputandum, quia tunc prævalet subditi libertas, juxta ea, quæ disputabuntur infra cap. 3. §. 7. v. leges, latius.

25. Semel Episcopus prohibuit sub poena excommunicationis, ne moniales aliquid exciperent ex floribus domestici hortuli: sic urgente hortu præfecta, ad communem recreationem conservandam. Interrogatus ego, an id sub mortali obligaret, Respondi nequaquam, quia manifestè constabat finem esse admodum levem: imò, ut etiam Vicario familiaris cum admonui, ne modicis huius generis culpis tam gravem poenam imponeret, sciret potius sic contemni præcepta solere, quam custodiri: poenamque excommunicationis, quæ severissima est, tam vulgarem habere, nimis esse reprehensibile.

Facit ad hæc Sanchez, qui excommunicationem sortè latam adversus consummantes matrimonium, non præmissis benedictionibus, ait, minime ligare; quia Excommunicatio ferri non potest, nisi ubi adest materia imponendi præceptum obligans ad mortale, quæ materia non apparet in ea consummatione, nisi forte aliquando disti in aliqua Diocesi solent differti ejusmodi benedictiones; nam tunc posset sub excommunicatione præcipi, ut intra tempus commodum, v. g. intra semestre, adhiberentur. Hæc ex illo. Vbi vides invalidè excommunicationem ferri circa rem, quæ non est apta, ut de ipsa imponatur præceptum grave; At certe materia, cujus finis, modo dicto est levis, gravis esse mortaliter non potest, &c.

De Veniali ex imperfectione actus.

26. Duplici modo transit mortale in veniale ex imperfectione actus, ita S. Th. p. 2. q. 88. art. 2. communiter receptus. Primum ex defectu deliberationis: id est, quando non plenè, ac perfectè intellectus advertit ad objecti

malitiam, nec de ea, expendendo singula, deliberat; ita sepe occurrit in semimortiente, in semibrio, in distracto ad alias cogitationes. Secundò, ex defectu pleni consensûs: quando scilicet voluntas objectum malum non amplectitur toto, ut ita dicam, actu, sed subreptione quadam; unde, & imperfectè: ita fere accidit in motibus quibusdam subitaneis.

27. Ad quorum intelligentiam, nota, in voluntate triplicem reperiri posse motum in rem, seu objectum aliquod, ita Petrus Sotus de insti. Sacer. Tr. de discrim. pec. lect. 8. & passim apud Merol. t. 1. d. 2. e. 4. c. 7. n. 103. Alius est primò primus, qui ita celer est, rationemque hominis prævenit, ut illum cohibere sub ejusdem potestate non sit. Alius est secundò primus qui impediri quidem potest, sed sub quadam tenui, seu semiplena libertate, id quod accidit propter hominis ad singula discurrenda, tarditatem, qui nos raro, licet advertat rem esse malam, imperfectè tamen veluti in consilio advertit, unde, & non plene consensit ad illam movetur. Alius denique motus est deliberatus, & perfectus, quando nimirum est plane liber, cum sit ex ratione singula expendente, & ex voluntate, expedito consensu, se inclinante.

Primes motus ex his, etiam quando objectum est mortaliter malum, nullum est peccatum: Secundus est veniale: Tertius mortale: quæ est communis doctrina, quidquid loan. Sanchez in sel. d. 18. quem rectè Castro palao t. 1. d. 2. p. 6. n. 3. impugnatur, in contrarium innuat. Iam vero difficultas in eo sita est: qua ratione dignoscendum sit acesse, vel abesse in actu plenam deliberationem, pleneque consensum; Dantur sequentes conjecturæ ex eodem ibid. an. 5. nam aliquando certitudinem habere, nisi Deus, qui animum nostrum solus inspectat, homo non potest.

28. Prima est desumenda ex defectu ætatis, quia non attingitis septennium, tunc enim si dubites an acquisieris plenam libertatem, seu usum rationis, præsumere potes non acquisivisse. Idem, si dubites, an perfectè à somno fueris excitatus, vel ebrietatem deposueris, vel distractionem mētis alias res cogitantis excusseris; quia hæc, cum perfectæ sunt, libertatem impediunt, ergo cum imperfectè existunt, illam diminuant. Ita Bonac. disp. 2. de pec. q. 2. p. 3. n. 9. sine citat. Thom. Sanchez. & Filiuc.

Secunda conjectura est: Si animum firmiter habes, & sæpe repetitum nunquam committendi mortale: præsumere enim potes peccatum non plenè consensisse; nam quando aliquod odio multoties est habitum, si deinde plenè amatur, facile & sine difficultate cognoscitur, ita Caietan. in summa, v. delectatio mortalis, apud Merol. t. 1. d. 2. cap. 4. d. 7. n. 108. sine.

Tertia est, Si facile potes peccatum exequi, illudque cum tui compos es, pro viribus respuis; præsumere enim potes, antea non plene consensisse, siquidem non ita facile affectus mutatur. Ita Sanchez l. c. n. 27. Bonac. l. c. n. 19. Hinc quando motus parvus tempore ferè imperceptibili insurgit, & paulo post, ut advertis, curas expellere, est signum nullius, aut certè imperfecti duntaxat consensûs præstiti.

Quarta conjectura sumitur ex communiter contingentibus, quæ sunt efficacissima, ita Meno. h. lib. 1. præsump. 18. & lib. 5. præf. 3. Vnde si quis timorata sit conscientia, peccatumque mortale abhorreat, præsumendus est non plenè consensisse, cum de consensu dubitat: secus si perditis moribus sit: hic enim, cum peccatum, velut aquam bibat, cum dubitat, præsumere potest verè ebibisse. Ita Sanchez l. c. n. 20. Bon. n. 16. Sayr. in clavi. lib. 8. c. 7. n. 6.

29. Quælibet ex his conjecturis regulariter facit opinionem probabilem, qua tui esse possumus, non assidue libertatem saltem perfectam, unde nec peccatum mortale.

Peccatum in genere.

30. Quares, si quis solum advertat in objecto malitiam in genere, verbi gratia, mendacium cum juramento, vel verbum otiosum esse mala, sed præcindat an mala sint gravia an levia, potestne id habere pro conjectura

Mortale ratione contemptus.

4. Si quis, sive ex malitia, sive ex prava consuetudine, sive ex alia simili causa violat præceptum, non dicitur contemnere: at dicitur, si contemptus est causa cuius peccati, id est scilicet violat quis præceptum, quia contemnit. Quoniam autem contemnere quis potest vel præceptum, seu quod nunc in idem recedit, rem præceptam, vel ipsum præcipientem, seu legislatorem, id est de utroque differendum.

5. Quoad posterius, quando præceptum est divinum, si quis violat præceptum leve, verbi gratia, mendatur, quia contemnit præcipientem, sive formaliter, ut præcipientis est, & superior, sive materialiter, ut talis est in suo esse, semper peccat mortaliter; Ita Val. Less. Suar apud Meroll. 1. d. 2. c. 4. d. 8. num. 136. quia id semper est quid grave contra obedientiam, vel reverentiam debitam Deo, qui est præcipientis in dictis præceptis, quæ propterea vocantur divina.

6. Quando autem præceptum est humanum, si violatur præceptum etiam leve, eo quod contemnitur præcipientis formaliter, id est quatenus superior est, atque adeo spernitur ipsa potestas, ac si nullius esset momenti peccatum mortale committitur: Idem *ibid.* At verò si præceptum leve violatur ex eo, quod contemnitur præcipientis materialiter, id est quatenus talis homo est, quia verbi gratia, est imprudens, vel indiscretus, peccatum mortale non committitur. Idem *ibid.* Idemque erit, si quis nolit alicui obedire, non quidem, quia is superior est, sed ne hominem ea re levi solatio afficiat. Ratio horum est, quia in primo casu injuria fit Deo, à quo est omnis legitima potestas: in aliis duobus contemnitur solum ipse homo, & quidem in re levi.

7. Quoad prius, id est quoad contemptum rei præceptæ; si præceptum rei levis est humanum, & illud quis violat, quia spernit ipsum præceptum cum relatione ad præcipientem formaliter, id est spernit, quia illi, ut superiori, non vult se subijcere, mortaliter peccabit; quia tunc contemptus, ut modò dictum est, vergit contra ipsum præcipientem ut sic. Si quis verò illud leve violat, quia spernit sive illam rem levi, sive ipsum leve præceptum sine relatione ad præcipientem, ut sic; vel cum relatione sola ad præcipientem, ut talis homo est, peccabit solum venialiter, quia tunc contemptus cadit in rem vere levi, unde non nisi levis culpabilis erit, idem *ibid.*

8. Quod si præceptum rei levis sit divinum, illudque quis violat, quia spernit ipsam rem levi, seu leve præceptum cum relatione ad præcipientem ut sic, nolens se illi subijcere, certe erit clare mortale. Non enim adest injuria contra Deum; si verò quis illud leve violat non cum tali relatione, sed solum, (mentitur verbi gratia) contemnens ipsum mendacium, distinguunt Doctores idem *ibid.* Si enim contemnat quasi putans illud præceptum de non mentiendo esse inutile, & vanum, peccat mortaliter, & in hoc fere omnes conveniunt, quia id continet tacitam blasphemiam contra Deum, qualem etiam contineret, si quis contra Christi Domini eadem ratione, ac si essent vana, contemneret: At si putetur quidem utile præceptum, sed parvi pendatur, quia est res levis, & non oblians ad mortale, docet Sanchez in dec. lib. 1. c. 5. n. 11. adhuc esse mortale, quia (inquit) est magna inordinatio, præceptum Dei ita contemnere. Verum Sanchez nimis rigorose loquitur, cum certe illa deordinatio non sit magna, sed levis, ut leve est objectum. Temperat ergo Lessius lib. 2. c. 46. d. 6. n. penult. dicens forte non esse mortale. Ego sequor libens Layman, lib. 1. r. 3. de pec. 7. num. 6. qui absolute, & sine distinctione docet contemptum rei præceptæ levis, quia non redundat saltem graviter contra legislatoris auctoritatem, esse venialem. Ratio autem esse potest, quia in hoc casu non parvipenditur, nisi res levis, & nequaquam redundans, nisi multo remotè, contra Deum. Sanè si ego contemniam non ex alio capite, sed solum, quia est leve quid, satellitem Regis resalutare, graviterne Regem offendo? nequaquam: pari igitur modo propor-

tionaliter in casu nostro. Et ulterior ratio est, quia quando ego contemno rem levi, quia levis est, resolvitur mea culpa in hunc modum. Contemno rem levi, quia levis est, nam si esse gravior, atque adeo gravis injuria Dei non contemnerem.

9. Ex dicto facile colligere potes peccantem ex contemptu duo peccata committere, utrumque explicitè confessario operiendum, quia scilicet primò præceptum in tali materia violat, & quia secundò, vel agit contra obedientiam nolendo se superiori subijcere, vel contra Religionem, Deum præcipientem contemnendo, &c.

Mortale ratione periculi.

10. Veniale imò & quolibet actio indifferens transit in mortale, si in illa advertatur adest proximum periculum committendi mortale: ita Doctores max. cit. & passim. Verbi gratia, si quis verbum otiosum dicat feminæ ex quo ipse expectus est sepe aliàs in mortale peccatum esse lapsus, mortaliter peccabit. Ratio est, quia mortale velle convincitur qui tam proximum peccandi periculum sponte subit, juxta illud: *Qui amat periculum, peribit in illud.* Hinc fit, & peccantem debere Confessario aperire speciem peccati, cujus periculo se exponit, illud enim censetur committere: quando quidem eodem præcepto, quo vitare tenemur peccatum, tenemur & illius periculum proximum vitare. Quando ab hac culpa excusamur, urgente nimirum necessitate, & de praxi absolviendi in proximo periculo peccandi constitutos diximus in meth. exp. conf. lib. 3. cap. 5. §. 3.

11. Sed hic tanquam in proprio loco quaeritur. An qui vult committere omnia venialia, quæ se offerunt committenda, peccet mortaliter ratione periculi committendi mortale. Peccat mortaliter docet Sanchez in dec. lib. 1. cap. 5. num. 4. Bonac. d. 2. de pec. q. 3. p. 5. n. 17. quia peccata venialia sunt dispositiones ad mortale.

12. Si vera esset hæc opinio, vix plurimis Fidelibus, qui verbis & factis protestantur se uno esse contentos, non peccare mortaliter; ceterum non admodum laborant de venialibus. Benignior igitur est, immodè & probabilior sententia Castropalaj *op. cit.* r. 1. d. 2. p. 9. §. 3. n. 5. & Salas c. 2. s. 2. q. 88. n. 3. d. 16. s. 2. n. 67. in fine, & s. 2. d. 26. n. 84. negantium. Ratio præcipua sit, quia falsum est venialia esse dispositiones proximas ad mortale, atque adeo proximè periculosas esse sint remotè. Videmus enim plures, quod venialibus non multum curant, vel ad ipsum nomen mortalis horrere, & re ipsa diu à mortalibus abstinerent. Ulterior autem ratio esse potest, quia dum malitia coarctata terminis levis offensæ Dei, minus hominem Christianum affici, ac percellit: valde urget, & terret, dum transcendit ad gravem ex quo tam diverso affectu, nullo modo judicandum est eum, qui priorem affectum habet, habere posteriorem. Excipe tamen aliquas occasiones sive in genere luxuriæ, sive alterius materiæ, quando ex aliquo capite in illa levi actione verè appareret proximum abendi periculum, sed id non est ex vi peccati venialis, sed ex vi naturæ talis actionis. Certè consuetudo jurandi verum sine necessitate, non videtur Thomæ Sanchez lib. 3. in dec. c. 5. n. 9. occasio proxima jurandi falsum, quia qui curam habet jurandi verum, non ex hoc inducitur ad jurandum falsum, immodè potius abducitur. Simili modo ergo universaliter in casu, de quo agimus, &c.

13. Secundò quaeritur. An qui concupiscit feminam, cujus statum ignorat, aut feminam in communi, peccet peccato stupri, adulterij, vel sacrilegij, ex eo quod exponit se periculo sic peccandi. Affirmat Sanchez lib. 1. in dec. c. 8. n. 5. cui adde Meroll. c. 1. d. 2. c. 4. d. 8. num. 145. alioquin, atque adeo teneri id in confessione explicare. Ratio est, (inquit) quia quantum ex parte sui desiderij fertur in feminam cujuscunque status sit, vel certè se exponit periculo peccandi cum illa, quibuscunque sit conditionibus affecta: excusari tamen sepe sic concupiscentem, ait, quod eam malitiam ejusque periculum non adveniat. Hanc

Hanc excusationem libens amplector, sed doctrinam non
hinc rationem periculi, vel ratione inde terminationis. Non
ratione periculi, siquidem non ferè semper, nec frequenter,
qui concupiscit puellam alicujus conditionis, v.g. solu-
am, concupiscit conjugiam, vel Dedicam, quod est
peccatum majus, quam sit solum concupiscere. Quod
autem ad constituendum culpam ratione periculi sit na-
turaliter fere semper, vel certe frequenter cadere, dixi-
mus *Opusc. Meth. conf. lib. 3. cap. 3. §. 1.* Nec ratione in-
determinationis, quia cum hic supponatur ignorare sta-
tum, vel à statu abstrahere, contra statum non peccat.
Adde copulam generis erit illa culpa? Primum enim sit
primo erit, an adulterij, an potius sacrilegij? Secundò
tertio, an generis inordinati. Primum esse
non potest, cum non sit major ratio de uno, quam de
alio. Secundum est difficile creditu; quia voluntarium
non est, quod est incognitum. Tertium denique videtur
potius fingi, quam probari.

14. Puto igitur esse peccatum simpliciter fornicationis
de ratio est, quia licet non habeat circumstantiam for-
ne solute, per quam constituitur Fornicatio simplex ut
hic habet tamen totum illud malitiam, quod morali judi-
cio continet simplex dicta fornicatio, & nihil amplius;
id autem in rebus moralibus ad culpam notionem co-
gnoscendas, seu constituendas satis est.

15. Fateor interim in confessione aperienda esse,
concupitam fuisse à te mulierem, cuius statum ignoras,
vel puellam in communi. Id autem non ob rationem
Sanchez, quæ nobis non arrisit, sed quia, ut dõquimus
Opusc. Meth. conf. lib. 2. cap. 1. §. 1. n. 6. in simili sic di-
cas, non explicas peccatum quod commisisti, sed aliud,
quod non commisisti: quod esse mentiri in confessione
in re gravi. Si enim diceret concupivi solutam, vel con-
cupivi conjugatam, &c. non verè diceret, si quidem tu
nec solutam concupivisti, nec matrimonio ligatam, sed
abstraxisti ab utraque.

16. Dices, fatebor me concupivisse feminarum. Respon-
deo vel confessarius ex circumstantiis percipit te in fe-
minam indeterminatam oculos mentis concessisse, ut si
sciat te esse advenam in hac civitate, teque concupivisse
feminas, quæcumque obviant tibi fuere, ac propterea in-
cognitas, & sic jam servatur postea monitum, vel non per-
cipit, & tunc vel ille obligatur interrogare, vel tu rem
explanare, ut sciat: An femina concupita fuerit con-
tracta ad conditionem conjugij, vel voti, nec ne.

Morale ratione conscientia erroris scandalii, & unionis plu-
rium venialium, & nullius.

17. Si quod est tantum veniale, putet quis per con-
scientiam errantem esse mortale, mortale erit. Item si
quis leve quid agat, v.g. jocosè mentiatur, intendens qui-
dam alterius spirituale, est similiter morale ratione
scandalii: sed de præter agemus infra c. 3. §. 2. de postero-
re diximus *Opusc. Meth. conf. lib. 2. c. 1. §. 1. 7.*

18. Denique si quis multa venialia unibilia ad malum
grave committat, graviter peccat: accedit in furto per
modica, & in nonnullis aliis materijs: de qua re ea, quæ
per occasionem diximus supra §. 3. a. num. 15. satis super-
que pro præsentis disputatione sunt.

CAPUT II.

De Voluntario.

§. I. Quid sit Voluntarium.

1. Voluntarium latè sumptum, seu actio latè volun-
taria (quo pacto etiam vocatur spontanea, con-
veniens item brutis) est, quæ procedit à principio in-
telleco cognoscente singula: ita Aristot. 3. *Eth. cap. 1.*

S. Thom. 2. 2. q. 6. *art. 1.* & Theologi communiter. Co-
gnoscunt enim Bruta per suas potentias sensitivas con-
venientiam, vel disconvenientiam aliquarum rerum, v.g.
cibi, vel fustigationis, eamque spontaneè prosequuntur,
fugientve.

2. Liberum autem, seu actio libera, (quo pacto erit
stricta, & magis propriè voluntaria, & differens à spon-
tanea, convenientem solum creaturæ ratione utenti, & præ-
necessaria ad peccatum) est, quæ procedit quidem à
prædicto principio cognoscente singula, sed ita, ut sit
in potestate agentis illam actionem facere, vel non, ita
Azor. lib. 1. c. 3. q. 4. & passim, v.g. Homo, dum per volun-
tatem amat bona delectabilia, (quæ per operationem
intellectus, seu rationis, ut talia cognoscit) ita amat, ut
pollutemare, & possit non amare. Si amet igitur, vel si
non amet, voluntariè ea velle, vel nolle dicendus erit.
Nunc vides voluntarium latè sumptum esse magis latè
patens, quàm liberum: omne enim liberum est volunta-
rium, non verò contra: fateor tamen apud Autores hæc
sæpè confundi.

3. Adverte ipsam actionem, v.g. prosecutionem boni
delectabilis cibi, dici voluntariam, ipsam verò bonum
delectabile, v.g. cibum, dici volitum, seu objectum volu-
tum, & consequenter differre voluntarium à volito, licet
& hæc non raro confundant Autores.

4. Rursus adverte potentiam illam à qua immediatè
procedit talis prosecutio, esse, & appellari in homine vo-
luntatem: quæ etiam vocatur appetitus rationalis, quia
regi solet ratione: in brutis verò invenitur appetitus,
qui appellatur sensitivus, quia regitur à potentijs sensiti-
vis. Quoniam verò homo aliquando operatur ex ratio-
ne, aliquando verò, more brutorum, ex appetitu sensiti-
vo, idè illi non solum competit liberè operari, sed etiam
operari spontaneè, ut faciunt bruta, & consequenter non
raro sine peccato.

5. Verum quæ regula in discernendi? sit hujusmodi
si actio ab homine fiat ex advertentia rationis, quod tunc
est, quando ratio considerat bonum & malum, honestum
& inhonestum, si inquam ita fiat, erit actio voluntaria
libera, & consequenter actio virtutis, vel vitij, vocabi-
turque propriè actio humana, quatenus scilicet est ab
homine, ut homo est. Si autem non fiat ex advertentia
rationis, sed subito quodam motu animi, absque eo quod
ratio consideret honestum, vel inhonestum, & cilla non
erit voluntaria libera, nec actus virtutis, & vitij, nec digna
præmio vel pœna, vocabiturque quidem actio hominis,
non verò actio humana, cuius conditionis esse motus
primos innuimus supra §. 3. num. 27.

§. II. Quotplex sit Voluntarium.

1. Duplex est. Aliud directè seu in se, aliud indirectè,
& in aliò, seu in causa. Directè in se voluntariè
amas, v.g. vinum, cum illud volens, bibis: at verò indi-
rectè, & in causa amas pollutionem, vel homicidium,
dum videns, quod vinum usque ad ebrietatem bibens,
pollutionem in ebrietate patiens, vel homicidium in ea-
dem patris, adhuc tamen bibis. Dixi (dum videns, &c.)
nisi enim præcognoscas effectum ex illa causa te sus-
cepta, securum, v.g. homicidium ab ebrietate, non di-
cetur, ne indirectè quidem ille effectus tibi voluntarius,
sed dicetur esse merè per accidens: & consequenter non
imputabitur tibi ad peccatum: sicuti, quia avis non præ-
vidit se capiendam ex appulsi in viscum, captio illi vo-
luntaria non est.

2. Illud adverte, ad hoc ut tibi aliquid sit indirectè
voluntarium, necesse esse, ut elegeris aliquam actionem,
vel omissionem, quæ tibi sit directè voluntaria, quæ
actio, vel omissio sit, vel causa physica illius indirectè
voluntarij, vel causa moralis: ita S. Thom. p. 2. *quest. 6.*
art. 3. Val. Valsq. aliique ibid.

Exemplum causæ physicae habes in ebrietate, quæ ti-
bi est directè voluntaria, & est causa physica dicti homi-
cidij. Exemplum causæ moralis, quæ omnino suppone-